

1448 Attendulo & aliis admonitum ut fuga se eriperet, respondisse, malle se circa publica signa mori, quam turpi fuga se ad ignominiam servare. Castris præterea mira rerum omnium opulentia refertis victor hostis est potitus, atque cum his duobus millibus curruum. Attendulus Brixiam se recepit, quo hostis victoriam secutus, paucis post diebus castra admovit.

Neque Veneti ad tantam cladem animum remiserunt: sed subito duobus legatis Alovio Lauretano, & Paschale Maripetro noviter creatis, arma studio præparant. Legati Brixiam cum triginta millibus aureorum nummum missi, urbem hostibus circumfessam ingredi nequiverunt. Si quidem Sforzia eo cum suis copiis, Alovio Vermio, Carolo Gonzaga, & aliis quibusdam illustribus viris, diviso Mediolanensium jussu exercitu, processerat. Veronæ igitur fuere legati die nocteque ad bellum reparandum intenti: ingentem largo stipendio ad se equitum peditumque vim brevi contraxere, multique illustres viri Veneto stipendium per literas & nuncios se libenter facturos sunt professi, confestimque (si ita Patribus videretur) cum numero equitum ingenti affuturos polliciti. Victor Sforzia Casale majus, Rivoltellam, ac pleraque alia oppida ex Veneto recepit: Caravagium, profligato exercitu, postero die deditionem fecerat. Sed dum ipse ad Brixiam sedet, reliquæ Mediolanensium copiarum, Picinino duce, castra Laudem admoverant. In hoc statu res Galliæ erant, quum Sforzia non injuria Mediolanensibus suspectus esse cœpit. Verebantur illi, ne ad principatum, qui Philippi fuerat, jam tacito aspiraret consilio. Studio itaque retinendæ libertatis sensim illi vires detrahere, ac quotidie minus credere. Quod ubi ille ita eventurum putavit, ut aliquanto postea non Mediolanensibus magis, quam Veneto futurus esset amicus, confestim ad pristinam Venetorum amicitiam reflexit animum, cujus solius populi potentia gradum sibi ad principatum fieri posse intelligebat. Inter reliquos igitur illustres viros qui capti in Cremonensem arcem adducti fuerant, Clemens Thealdinus, scribarum unus, cum

Her-